



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

III. Non debet vir sine vxore, vel vxor sine coniuge ad religionem  
conuolare, nisi qui remanent tam senex sit, quod sine suspicione possit in  
saeculo commorari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO CHRISTI 1179. in eius potestate erat: & ideo tenuit votum; non reddere autem, non erat in eius potestate, sed mulieris. Vnde Apostolus: *Vir non habet potestatem, &c.*

CAP. III. *Idem \* Exoniensi episcopo.*

Cum præditus sis scientia literarum, ignorare non potes nec debes, sanctorum patrum constitutione contraditum, vt vir, vxore sua in sæculo remanente, aut mulier, viro non assumente religionis habitum, non debeat ad religionem transire: quia cum vir & vxor vna caro sint, vt ait Apostolus, non potest alter ad Deum conuerti, & alter in sæculo remanere. Inde est quod apostolica auctoritate tibi prohibemus, ne in episcopatu tuo virum vel vxorem, nisi vterque ad religionem migrauerit, transire permittas. Sed si voluerint ad Deum conuerti, vterque ad frugem melioris vitæ transeat. Verum si vxor ita senex est & sterilis, quod sine suspitione possit esse in sæculo: dissimulare poteris, vt vir, ea in sæculo remanente & castitatem promittente, ad religionem transeat.

*Ephes. 5.  
Dist. 50. Si quis diaconus.*

CAP. IV. *Idem Herefordensi episcopo.*

Præterea, vtrum laicus vxoratus, qui præsentibus sacerdotibus & monachis, episcopo ignorante, de licentia & permissione vxoris suæ, monasterium est ingressus, & forte professionem fecit, vxore in sæculari habitu remanente, nec ad religionem transeunte, aut perpetuam continentiam vouente, ab episcopo suo possit ad torum vxoris reuocari; an illa compellenda sit ad obseruationem perpetuæ continentiam. Dicimus quod nisi, vbi subest timor incontinentiam, vxor ad religionem transierit, vel in conspectu ecclesiæ continentiam seruare promiserit, ad eam debet & potest ab episcopo reuocari. Quia cum sint vna caro effecti, non debet vna pars in sæculo remanere, & altera ad religionem transire. Verumtamen vxor commendanda est & propensius exhortanda, vt ad religionem transeat, & castitatem seruare promittat.

*Sed quid, si consensu vxoris perpetuam habuisset continentiam, manes cum ea in habitu sæculari?*

CAP. V. *Idem \* Exoniensi episcopo.*

Si quisquam qui se religioni deuouit, & habitu suscepto professionem fecit, postmodum sibi aliquam copula-